



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De eadem transfiguratione. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

quàm affectuosè gratias egerint! quã-
ta compassione de instanti eius pas-
sione & morte inter se contulerint!
quanta admiratione tam mirabilè eius
excessum suspexerint! O si & tu, ani-
ma mea, excessum illum dolorum, ca-
lumniarum, cruciatuum, quos Chri-
stus amore tui toleravit; excessum
gratuiti & infiniti amoris, quo impul-
sus tanta dixit, fecit, pertulit; exces-
sum illum satisfactionum, quibus de-
bitum humani generis longè excessit;
denique excessum illum absolutissime
patientiæ, obedientiæ, humilitatis, a-
liarumque virtutum, quas tunc exer-
cuit; Si inquam excessus hos omnes
clare intuereris; quantopere ad reda-
mandum & imitandum eum accende-
reris! Admiratio, gratitudo, amor,
imitatio Christi in excessu harum vir-
tutum.

De eadem transfiguratione. ibid. III.

I. **P**etrus verò, & qui cū illo erant gra-
uati erant somno. Et euigilantes, vi-
derunt maiestatem eius. & duos viros, qui
stabant cum illo. Et factum est cum disce-
derent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præce-
ptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria
tabernacula, unum tibi, & unum Moysi,

Pp 7.

Qu.

Et unum Elia, nesciens quid diceret Si vel modica prælibatio gloriæ clarificati corporis tanto gaudio horum discipulorum mentes impleuit, ut omnium terrenorum obliti, huic vni inhiarent: quibus tandem delicijs inebriabit mentes Beatorum plena, securæ & perfecta possessio ineffabilis Beatitudinis animæ & corporis: quid proinde pro illa consequenda non tentandum, non faciendum, non tolerandū? Spes gloriæ, zelus multa ardua faciendi & faciendi amore Dei

II. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Filius Dei qui in hac ipsa gloriosa transfiguratione sua, omnia tormenta, & opprobria sibi subeunda, ob oculos ponere, atque ad illa se promptissimè offerre non dedignabatur, à Spiritu sancto in nube lucida præfigurato, & à Patre intonante: Hic est Filius meus dilectus, luculento testimonio clarificatur, eiusque doctrina omnibus amplectenda commendatur: ut clarius nobis innotescat heroicum perfectæ resignationis ad omnia quantumuis ardua exercitium, esse securissimum ad eximiam glo-

gloriam compendium. Zelus Christi in hoc imitandi.

III. *Timore prostratos discipulos Iesus tetigit dicens: surgite nolite timere, nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Quam pius Dominus & suavis ita suis Electis timore conturbatis erigendis, afflictisque consolandis? quam sollicitus in exhibendo nobis exemplo intimæ humilitatis, dum prohibet hanc clarificationem, usque dum resurgeret, propalari, qui non erubuit coram omnibus confundi, & tanquam Princeps latronum in medio latronum mori! Benignitas erga pusillanimes & afflictos, Fuga humani plausus.

De Lunatico à Christo curato.

IV.

Matt. 17. Marc. 9.

I. *Iesu descendente de monte, oblatu est puer obsessus à spiritu muto, quem discipuli non poterant curare, à parente sic deprecante: Si quid potes adiuua nos, miserere nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans Pater pueri cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam: Viden' ex monte contemplationis exemplo Christi descen-*
da-

da-